

1 Admodum R/de Pater, Parcat Deus illis duobus Coelestinis  
 qui ad nos venerunt cum certissima promissione, ut ipsi dicebant,  
 quod Coelestini Galli admitterent visitationem P. Abbatis Genera-  
 lis. Et quidem ego initio eos reieci tanquam profugos, sed postea  
 5 Coelestini, qui Romae sunt, cupientes aperiri portam huic visita-  
 tioni, persuaserunt mihi, ut eos ad tempus retinerem. Et si R.V.  
 permisisset, litteras Vicarii Generalis, quibus adiunctae erant  
 meae, deferri ad Patrem Provinciale; iamdudum habuissemus res-  
 ponsum, et res essent clarae, et patres duo, qui hic sunt, pos-  
 10 sent redire ad vos. iamdudum audivimus ex Archiepiscopo Lugdu-  
 nensi, qui hic Romae agit Legatum Regis christianissimi, quid ac-  
 tum sit in consilio privato Regis eiusdem circa P. Campigni, et  
 alia negotia Coelestinorum. Et quia in Gallia sparsa erat fama,  
 iturum ex Italia in Galliam Patrem Generalem Coelestinorum ad  
 15 pacem faciendam, et ideo revocatam esse auctoritatem trium Prae-  
 latorum, id est, Card/lis Perronii, Card/lis de la Rochefoucauld  
 et Episcopi Parisiensis, delegatorum commissariorum a Summo Pon-  
 tifice, ego statim per litteras monui Nuntium Apostolicum, qui  
 est apud Regem, falsum esse quod ferebatur, de revocata auctori-  
 20 tate trium illorum Praelatorum, et nunc iterum scribo tribus il-  
 lis delegatis iudicibus, ut causam agant et finiant primo quoque  
 tempore. id enim Summo Pontifici, omnino cordi esse. Addidi etiam,  
 optare Pontificem, et me, ut tria capita reformationis admissa in  
 capitulo generali intra Italiam, et in capitulo provinciali intra  
 25 Gallias, omnino retineatur. His valeat R/ia Vestra mei memor in  
 precibus suis.

Romae die 8 februarii 1618.

Admodum R/de Pater  
 Uti frater

30 Robertus Card/lis Bellarmimus,  
 P. Antonio de Ponte Priori Coelestinorum Avenionensium.